



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quomodo Iudaei infinitis malis exagitati sunt, & quomodo postremum  
bellum Romanis intulerint. Cap. XXV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**



EVSEBII HISTORIAE

(qui Zephyrini Pontificis Romani tēporibus vixit) inq̄;  
disputatione scriptis prodita, quam cum Proclo Cata  
Phrygum h̄eresis & opinionis patrono habuit, eadem  
ipsa de locis, vbi sacra apostolorum (quos supra citauimus)  
tabernacula locabantur, asserit. Ego, inquit, apostolorum  
trophæa perspicue possum ostendere. Nam si lubet  
in vaticanium proficisci, aut in viam, quæ Hostiensis  
dicitur, te conferre, trophæa eorum, qui istam ecclesiam  
suo sermone & virtute stabiluerūt, inuenies. Porro Dionysius  
Corinthiorum episcopus illos ambos martyrium eodem  
tempore pertulisse. Sic ad Romanos scribēs cōmemorat.  
Petrū & Paulum, qui Romanos & Corinthios, primum  
in ecclesiam Christi inseruerunt, prudenti quadam  
admonitione impulsī, in vnum locum conclusistis. Nam  
ambo cum & nostram Corinthi & vestram Romæ ecclesiam  
fundassent, & eiusdem doctrinæ præceptis, tum nostros  
animos, tum vestros imbuisset, eodem tempore pariter  
martyrium subierunt. Atque ista hoc loco intexuimus,  
quò rei gestæ maior certiorq̄; adiungatur fides.

*Quomodo Iudæi infinitis malis exagitati sunt, & quomodo  
postremum bellum Romanis intulerint.*

CAP. XXV.

**I**osephus rursus vbi permulta de clade, quæ vniuersam  
Iudeorum gentem oppresserat, disseruerit, narrat his  
propemodum verbis quo pacto, præter alios complures  
homines plebeios, infiniti ex illis, qui erant apud Iudæos,  
in summo honoris gradu locati, cæsi verberibus à  
Floro in crucem acti essent. Hic verò Iudææ præfectus  
tum fortè fuit, cum bellum Iudaicum duodecimo anno  
Neronis imperij erat concitatum. Deinde idem scriptor  
propter quandam Iudæorum seditionē Cæsareæ ortam  
ait, adeo grauem & pestiferum tumultum passim per totam  
Syriam peruasisse (dum Iudæi ex suis hominibus ciuitatem  
quanque incolentibus tanquam ex capitalibus inimicis  
extinguebantur) vti ciuitates corporibus inhumatis  
refertas: senes mortuos simul cum infantibus miserabiliter  
proiectos, mulieres omni integumento, quod  
ad pu-



ad pudorem necessario adhiberi solet denudatas: totam denique prouinciam ærumnosam & plenam calamitatum quæ dicendo exprimi non poterunt) manifestò cernere potuisses. Quinetiam metus vastitatis & euerfionis futuræ, quam præfens reip. status minabatur, multo plus habuit molestiarum, quàm facinora illa, quæ modo fuissent à singulis temerè & audacter admissa. Hæc totidem ferè verbis Iosephus. Eo tempore Iudæorum res hoc loco fuere.

Finis secundi Libri.

EVSEBII CO-  
GNOMENTO PAMPHILI  
EPISCOPI CAESAREAE PA-  
lestinæ, Ecclesiasticæ historiæ  
Liber tertius.

*Apud quas gentes Christum Apostoli prædicarunt.*

C A P. I.

*Apostolorum diuisio partem hanc præbetur*



STO modo in Iudæorum rebus actum accepimus. Iam verò vt ad sanctos seruatoris nostri apostolos discipulosque, qui erant per vniuersum orbem fusi ac dissipati, redeamus, Thomas (vt memoriæ proditum est) Parthiam obtinuit: Andreas Scythiã, Ioãnes Asiam obiit:

Vbi reliquum etiam vitæ suæ cursum conficiens, Ephesi morte occubuit. Petrus autem, vt videtur Iudæis, qui in Ponto, Galatia, Bithynia, Cappadocia, & Asia dispersi, vixerunt